

quæ ita in *concione* ejus *funebri* publicè fuerunt relata. Potior ergò benevolentia homini tribui debet ex *virtute & industriâ*, quam ex *gente & familiâ*. Si Noster diligentiam, quam apud nos strenuè exhibuit, alibi ita pertexuerit, nomen ipsius ultra *crepidam & subulam*, omninò altiùs extendetur. Exhibuit autem publicis conventibus scholasticis anno M DC LXVII. *versionem Psalmi LVII. elegiacam Latinam*: anno sequenti *orationem de Angelis*: ann. M DCLXX. *de Spiritu S.* stylo ac filo Græcanico, paucissimis familiari: anno præcedenti *de B. Martino*: inque omnibus neque operæ neque oleo parsit, Martis proprij frameâ usus & Minervâ domesticâ obstetricante. *Styli*, inquam, *styli exercitium est optimum dicendi magisterium*, idque negare & negligere stultissimorum scholasticorum. Jam de *Sutoribus*, ne paternæ artis pudere dicatur, dicturus est ultimi vale & gratiarum actionis loco, atq; probaturus *inconsideranter*, ut mitiùs loquamur, scripsisse M. Tullium sub fin. lib. I. *Officior. Nec verò quicquam ingenuum potest habere officina*: sapientes sanè Ebræorum quoque contradicunt, apud quos scitum est illud, *Bona est via legis cum viâ terræ*, & celebris quidam eorum Rabbi fuit *Jochanan Sandalar*, h. e. *sutor calceolarius*.

Tu verò MARTINE abi cum Domino Deo tuo, & quocunq; steteris in loco sancto, exsue calceos cum (1) Moyse & (2) Josue, subliga autem soleas cum Apostolo (3) Petro.

P. P. Budissæ IV. Nonas Octobris ann. M DC LXXII.

(1) *Exod. III, 5.* (2) *Josue V, 15.* (3) *Actor. XII, 8.*

